

bus. Philippus autem mihi non sine piaculo ta-
cendus, qui magnun hujus familiae tydus, ma-
gna spes hominum, expressissimum virtutis ex-
emplum, & literati orbis amor, acriter ad Zut-
phenum Geldriae cum hoste congressus fortiter
occubuit. Hic ille Sydnæus est, quem ut Deus
ideo natum voluit, ut priscorum specimen no-
stro seculo ostenderet; ita ex improvise ad se ut
caelo quam terris digniorem revocavit, & no-
bis subduxit. Eripit utique se ex oculis subito
perfecta virtus, & optimi nequiquam diurnant.
Placide, si fas sit loqui, Sydnæe quiescas, nos te
non lachrimis, sed admiratione decorabimus.
Quicquid in te (ut de optimo illo Britanniae Præ-
sidi optimus scriptor loquitur) amavimus, quic-
quid mirati sumus, manet, mansurumque est in
animis hominum, in æternitate temporum, in
fama rerum. Multos velut inglorios & ignobiles
oblivio obruit, Sidneius posteritati narratus su-
perstes erit. *Αἰετὸν* enim, ut canit ille Græcus,
Κρείσσονες εἴσι μέγιστα.

Philippus
Sidney.

Tunbridg.

Hinc *Medway* fl. *Tunbridg* respargit, ubi vetus est
castellum, quod *Richardus de Clare* construxit,
qui commutationis jure pro *Brionio* in Norman-
nia accepit. Ejus enim avus *Godfredus* natura-
lis *Richardi Primi Ducis Normanniae* filius, *Au-*
centis, & *Brionii Comes* erat. Cum etenim
diu de *Brionio* disceptatum fuisset, *Richardus*,
ut scribit *Guilielmus Gemiticensis*, pro repetitione
ejusdem castrum in Anglia accepit oppidum *Tunbridge*. Af-
ferunt enim *Leucam Brionii cum funiculo circumcirca*
fuisse mensuratam & eodem fune in Angliam delato ad
Tunbridge tantundem spatii in metiendo recepisse. Ve-
runtamen *Manerium*, ut vocant, de *Tunbridge* ejus
successores *Glocestriae Comites* clientelari jure
ab Archiepiscopis *Cantuariensibus* ea lege te-
nuerunt, ut Archiepiscoporum in imbronsatione
Senescalli, & eorum liberi ipsis in tute-
la essent. Inde *Medway* delabitur non procul à
Mereworth, ubi ædes instar castelluli, quæ ab *A-*
rundeliae Comitibus ad *Nexillos Abergevenniae* &
Le Despensers Dominos devenerunt, quorum hæ-
res recta linea est *Maria Fane*, cui & hæredibus
Iacobus Rex primo quod tenuit Parlamento no-
men, *stylum*, *titulum*, *honorem*, & *dignitatem* *Baronif-*
se Le Despencer restituit, dedit, & concessit &c. quodque
hæredes successive sint *Barones Le Despensers* in perpetuum.

* The Lo-
serunt enim
wy of
Tunbridg.

Mere-
worth.

Baronissa
Le De-
spenser.
Ex literis
patenti-
bus.
Vagniacæ.

Ad *Maidston* jam properat *Medweagus*, quam cum
Saxones Medwegston, & *Medweageson* dixerint,
VAGNIACAS esse illas credo, quas *Antoninus*
memorat, & *Ninnius* in suo urbium catalogo,
Caer Megwad corrupte, pro *Medweg* vocat: nec
fane distantiae ratio repugnat, hinc à *Novioma-*
go, inde à *Durobrovi*, de qua mox agemus. Sub
posterioribus Imperatoribus, ut in tabula *Peute-*
geriana nuper à *M. Velfero* edita videre est, *MA-*
DVS dicitur. Sic sensim volventibus annis sen-
sim immutantur nomina. Oppidum hoc est fre-
quens & cultum, magnaue longitudine exten-
tum. In medio Archiepiscoporum *Cantuarien-*
sium palatium, à *Ioanne Vffort* Archiepiscopo in-
choatum, & à *Simone Islip* absolutum habet; al-
ter item publicus totius hujus agri carcer hic
constituitur, immunitatesque plurimas *Reginae*
ELIZABETHÆ fert acceptas, quæ *Majorem* sum-
mum magistratum instituit, pro *Portgrevio*, quem
Britannia.

Madus.

Portgre-
vius.

prius habuit; quod adnoto, quia antiquum hoc
sit Saxonium vocabulum, & apud Germanos
etiamnum rectorem denotet, ut *Markgrave*, *Rein-*
grave, *Landgrave*, &c.

Hic sub *Vagniacis*, ab oriente Sole fluviolus
Medwegæ cõsociatur, qui ab *Lencham* surgit, quæ
Antonino, conjectura probabili, *DVROLENVM*
est, perperam in nonnullis exemplaribus *DV-*
ROLEVVM. *Durolenum* enim *Lenum aquam* *Bri-*
tannis sonat, & præter nominis reliquias, distan-
tia etiam à *DVROVERNO* & *DVROBROVI*, hoc
esse *Durolenum* comprobatur; ut taceam situm
ad viam *Consularem Romanorum*, quæ olim à
Dover (ut auctor est *Higdenus Cestrensis*) per
medium *Cantium* duxit.

Dorolet-
num.
Lencham.

In vicinia ad *Bocton Malherb* jam diu habitavit
nobilis familia *VVottonorum*, è qua nostra memo-
ria effloruit & *Nicolaus VVotton* Legum Doctor
qui *Henrico Octavo*, *Edwardo Sexto*, *Mariæ* &
Elizabethæ R R R R. à consiliis sanctioribus, no-
vies ad externos principes legatus, ter ad pacem
inter *Anglos*, *Gallos* & *Scotos* delegatus longum
vitæ stadium magna piæ prudentiæ laude decur-
rit, & *Edwardus VVotton* ejus è fratre pronepos,
quem ob multiplicem rerum usum *Elizabetha*
Regina Aulæ Regiæ Censorem constituit, & *Ia-*
cobus R. Baronem VVotton de Merlay creavit.

Bocton
Malherb.

Wotton
Baro.

Nec aliud oppositum habet hic fluviolus quod
memorem præter *Leedes* Castrum, quod fuit *Cre-*
vequerorum nobilium opus, qui in antiquis *Char-*
tis de Crevequer & *Crepto corde* nominantur. Postea
Bartholomæi Baronis de Badilsmer inauspicata e-
rat sedes, qui illud perfidiæ contra *EDWARDVM*
Secundum, à quo dono acceperat, communivit;
sed postea meritis perfidiæ pœnas suspendio sol-
vit. Rem totam, si placet, legas ex historiola
Thomæ De-La-More viri nobilis, qui eadem tem-
pestate vixit, quamque nuper in lucem edidi.
Anno c10 ccc XXI venit *Isabella Regina* ad castrum de
Leedes circa festum *Michaëlis*, atque ibi pernoctare vo-
luit, at vero non est permessa ingredi. Hac re *Regis* animo
offenso, ut in suum contemptum acta, convocatis vicinis
ex *Esssexia* & *Londino* nonnullis Castrum jussit obsideri,
Castrum tenuit *Bartholomeus de Badilsmer*, in quo re-
lictæ uxore & filiis, ipse cum reliquis *Baronibus* ad res *Hu-*
gonum Despensers evertendas profectus fuerat. Interim
inclusus de salute desperantibus, *Barones* cum suis *King-*
ston usque pervenerunt rogantes per intermissos *Episcopos*
Cantuariensem, & *Londinensem*, & *Comitem Pembro-*
chia, ut obsidionem Rex solveret, polliciti se post proximum
Parlamentum Castrum Regi in manus tradituros. Rex
vero perpendens non posse diu obsessos resistere, exaspera-
tus eorum contumacia *Baronum* petitiones audire noluit:
quibus in alias partes conversis, postea non modico labore
Castro potitur, reliquis in eo repertis suspensis, uxorem cum
filiis ad *Turrem Londinensem* misit.

Leedes
castle.
Creve-
quer fami-
lia.

Sic *Leno* fluviolo recepto *Medweagus* per uber-
rima arva, & *Allington* castrum, ubi splendida
ædes restauravit *Th. VViat senior*, Eques auratus
splendide doctus, decidens *Ailesford* pervenit, Sa-
xonice *Eaglesford*, *Henrico Huntingdonensi El-*
stre, *Ninnio Epifford*, qui prodidit *Britannice Saif-*
senæg-haibaile etiam dictum à *Saxonibus* ibi devi-
ctis, uti *Anglesford* alii eodem sensu vocarunt.
Guortimerus enim *Britannus Guortigerni filius*
Hengistum & *Anglo-Saxones* hic aggressus est;
Ccc quos

Ailesford.